Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 293
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 64. succedit *Lectura in Evangelium S. Johannis*, incipiens a *Lirani* Prologo: *Facies Aquilae desuper* &c. ut in Bibliis Glossatis. Ad calcem: *Finis jo. in 4ª feria post octauam resurrectionis Domini.*

III. *fol.* 137. *Lectura in Evangelium S. Matthaei* praemisso *Lirani* generali Prologo in Evangelia: *Quatuor facies uni* &c. Ad calcem: *finis Mathei in vigilia circumcisionis.*

IV. *fol.* 203. *Lectura in Evangelium S. Marci* praemisso itidem *Lirani* Prologo: *Facies leonis a dextris ipsorum quatuor* &c. Ad calcem: *finis marci in octaua epiphanie.*

V. *fol.* 232. p. 2. *Lectura in Evangelium S. Lucae* cum *Lirani* Prologo: *Facies bouis a sinistris* &c. Ad calcem: *finis in 4ª feria post inuocauit.* Nolo prolixior esse in recensendo Commentario e *Glossa ord.* et *Lirani Postillis* maximam partem convecto, quem, ut in *Codice* non procedat debito Librorum ordine, pro Scholis tamen ex adscriptis ad calces autumo, ab *Novembri* vel *Decembri* 1445. usque ad *Novembrem* 1446. praelectum fuisse, initio a *Matthaeo*, et fine in *Actis Apostolor.* dato. In Autoris notitiam deducere possunt, quae ad finem *Codicis* ab eadem manu leguntur: *Anno domini M CCCCX° et eodem anno papa alexander erat bononie et obijt ibidem in ascensione christi et electus est ibidem pro eo johannes XXIII. post pentecosten, et ego conradus Rumel veni de curia circa festum michaelis et processi ad sacros ordines in angaria ante natiuitatem Domini quando incipiebat annus Domini XI. Considera o conrade, quam misericors est Deus et invoca eum, ut omnes illi mendaces inveniantur, qui dicunt tibi, quod non permaneas in bono proposito, specialiter ut ille mendax inveniatur, qui dixit tibi anno Domini MCCCCXI. in die conceptionis marie in domo conradi Ruoker, quod infra spacium trium annorum haberes duos pueros.* Cum Nota haec *Codici* coaeva sit, adeoque circa a. 1446. scripta, Scriptore tunc saltem annum 58. agente, mirum, quam is animo alte infixum habuerit illud Pauli: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Ad quos *Rumelios* ille pertinuerit, ignoro; nihil enim de illo in Scriptoribus nostris Academicis. *Conradi* nomine deceptum quendam Thecae Codicis inscripsisse video: *M. Conradi Salder.* Virum hunc ex *Rotenacker* oriundum anno Praelectionis nostrae 1446. *Artium* tantum *Magistrum* et *Nat. Rhenanae Procuratorem* invenio, quae cum Cathedra theologica vix congruunt.

CXCV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 156
Folior. 359. f. bene scriptus, et rubricis distinctus exhibet: I. ut e calce praeoccupo, *Lecturam* in Actus Apostolorum *per R. Magistrum Stephanum marquardi de stockharn pro primo cursu suo in solempni vniuersitate Wyen. lectam.*